Faciem meam non averti ab increpationibus,
sed scio quoniam non confundar
(Tertius cantus Servi Domini).

Léctio libri Isaíæ prophétæ 50, 4-7

4 Dóminus Deus dedit mihi linguam erudítam,
ut sciam sustentáre eum, qui lassus est, verbo;
éxcitat mane, mane éxcitat mihi aurem,
ut áudiam quasi discípulus.
5 Dóminus Deus apéruit mihi aurem;
ego autem non rebellávi, retrórsum non ábii.
6 Dorsum meum dedi percutiéntibus
et genas meas velléntibus:
fáciem meam non avérti
ab increpatiónibus et sputis.
7 Dóminus Deus auxiliátor meus;
ídeo non sum confúsus,
ídeo pósui fáciem meam ut petram duríssimam
et scio quóniam non confúndar.

Verbum Dómini.